



Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem Sancti Thomæ Tomvs ...

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Disp. CLVI. An indiuiduum deitatis concretum, quod solet vocari hic Deus,
cognitione nostra præcedat personas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

ipsum ad personam, quæ est suppositum distinctum. Vnitas autem siue communitas humanæ naturæ nō est secundum rem, sed solum secundum considerationem. Vnde iste terminus, homo non supponit pro natura cōmuni: nisi propter exigentiam alicuius additi, vt cum dicitur, homo est species. Sed forma significata per hoc nomen, Deus, scilicet essentia diuina, est vna & communis secundum rem. Vnde per se supponit pro natura cōmuni, sed ex adiuncto determinatur eius suppositio ad personam. Vnde cum dicitur, Deus generat, ratione actus notionalis supponit hoc nomen, Deus, pro persona Patris. Sed cum dicimus, Deus non generat, nihil additur quod determinet hoc nomen ad personam Filij. Vnde datur intelligi quod generatio repugnet diuinæ naturæ. Sed si addatur aliquid pertinens ad personam Filij, vera erit locutio, vt si dicatur, Deus genitus non generat. Vnde etiam non sequitur, est Deus generans, & Deus non generans, nisi ponatur aliquid pertinens ad personas, vt puta, si dicamus, Pater est Deus generans, & Filius est Deus non generans, & ita non sequitur quod sunt plures dii, quia Pater & Filius sunt vnus Deus, vt dictum est.

Ad quartum dicendum, quod hæc est falsa, Pater genuit se Deum: quia ly se (cum sit reciprocum) refert idem suppositum. Neque est contrarium quod Augustinus dicit ad Maxim. quod Deus Pater genuit alterum se. Quia ly se vel est, alius ablatiu, vt sit sensus, genuit alterum à se: vel facit relationem simplicem, & sic refert identitatem naturæ: sed est impropria, vel emphatica locutio: vt sit sensus, genuit alterum simillimum sibi. Similiter & hæc est falsa, genuit alium Deum: quia licet filius sit alius à Patre, (vt supra dictum est) non tamē est dicendum, quod sit alius Deus: quia intelligeretur quod hoc adiectiuum alius, poneret rem suam circa substantiuum, quod est Deus: & sic significaretur distinctio deitatis. Quidam tamen concedunt istam, genuit alium Deum: ita quod ly alius, sit substantiuum, & ly Deus, appositue constitutur cō. Sed hic est improprius modus loquendi, & euitandus ne detur occasio erroris.

Ad quintum dicendum, quod hæc est falsa, Deus genuit Deum, qui est Deus Pater. Quia cum ly Pater, appositue constitutur cum ly Deus, restringit ipsum ad standum pro persona patris: vt sit sensus, genuit Deum qui est ipse pater: & sic

respon. in 1. p. tom. 2.

Pater esset genitus Quod est falsum. Vnde negatiua est vera, genuit Deū qui non est Deus Pater. Si tamen intelligeretur constructio non esse appositua, sed aliquid esse interponendum, tunc ē conuersa affirmatiua esset vera, & negatiua falsa: vt sit sensus, genuit Deū, qui est Deus, qui est Pater. Sed hæc est extorta expositio. Vnde melius est, quod simpliciter affirmatiua negetur, & negatiua concedatur. Præpositiuus tamen dixit, quod tam negatiua quam affirmatiua est falsa, quia hoc relatiuum, qui, in affirmatiua potest referre suppositum, sed in negatiua refert & significatum & suppositum. Vnde sensus affirmatiua est, quod esse Deum Patrem, conueniat personæ Filij. Negatiue vero sensus est, quod esse Deum Patrem, non tantum remoueat a persona Filij, sed etiam a diuinitate eius. Sed hoc irrationabile videtur, cum secundum Philosophum de eodem, de quo est affirmatio, possit etiam esse negatio.

L. 2. perib. ex c. vlt. to. 3.

CONCLUSIO, est, Quandoque nomen, Deus, supponitur pro natura, quandoque pro persona. Conclusionem hanc & doctrinam articuli alius examinabimus sequentibus disputationibus. Nam circa textum articuli nihil est, quod peculiari indigeat notatione.

DISPV. CLVI.

An indiuiduum Deitatis concretum, quod solet vocari, hic Deus, cognitione nostra præcedat personas.

Due Scholasticorum opiniones, cap. 1.

Concedendum esse concretum Deitatis quamuis alio modo quam Caietanus posuit, verior sententia est, cap. 2.

Soluntur argumenta primæ sententiæ, cap. 3.

Qua ratione dicere possimus, Hic Deus est hic Deus, cap. 4.

CAPVT I.

Due Scholasticorum opiniones.

ANtequam ad suppositionem huius nominis, Deus, veniamus, necesse erit disputare, an hic Deus, qui solet vocari indiuiduum Deitatis concretum, cogitatione ita præcedat personas, vt antequam intelligamus Patrem, Filium, aut Spiritum sanctum, mente concipiamus hunc Deum, & de illo aliqua enuntiemus.

Henricus quodlib. 5. quæst. 8. & Durand. in primum d. Henricus & 26. quæst. 1. num. 6. & multi recentiores Thomistæ alio negant pro viribus defendunt, nō posse tale indiuiduum tale concretum intelligi ante personas, aut ante proprietates personales. Probant primum quia nō. Durandus men, Deus, quo significamus concretum illud, est nomen suppositi. Idem enim est Deus, quod habens Deitatem, vt constat ex 8. Thoma art. 3. præ. D. Thomas. cedenti ad 1. & Damascen. lib. 3. de fide, cap. 11. in fin. & Damascenus Niceta lib. 3. Thesauri, cap. 33. in princ. sed nullum est suppositum commune, quod cogitatione præcedat tres personas: ergo nullum tale est indiuiduum concretum Deitatis. Deinde si indiuiduum

Y 3

concre-

concretum Deitatis tribus personis commune esset; etiam esset commune indiuiduum humanitatis, si vna humanitas à tribus esset assumpta; eadem enim videtur ratio; hoc autem esse non potest; quia sequeretur, hominē assumi à tribus personis, non humanitatem; siquidem, priusquam intelligatur humanitas in personis, iam est homo: quare idem etiam nunc contigisset in assumptione humanitatis à verbo: atqui homo assumi non potest, quia assumeretur suppositum, ut docet S. Thom. 3. par. quæst. 4. art. 3. ergo tale indiuiduum non est concedendum.

Postremo si daretur hoc concretum, daretur etiam concretum spiritalis commune duabus personis spiritalibus: at hoc nulli, aut pauci conceduntur: ergo & indiuiduum Deitatis asserere debemus.

Caiet. affirmat ex communi supposito vocatur.

Caietanus vero in hunc art. & 3. p. qu. 2. artic. 2. circa solutionem 3. & qu. 3. art. 2. & 3. non solum adstruit tale indiuiduum, & concretum Deitatis ante personas; sed etiam illud appellat semisuppositum, vel semipersonam, ne, si diceret personam, vel suppositum, quaternitatem in Deo introducere videretur. Probat autem duplici ratione vna est, quia multa enuntiamus de hoc Deo, quæ ei non conueniunt ratione personarum, sed ratione essentiae: ut cum dicimus, vnus Deus creat, & id genus alia: ergo indiuiduum illud concretum essentiae intelligitur ante personas. Qua de causa S. Tho. in hoc art. expresse notauit nomen, Deus, in ea propositione, Deus creat, supponi pro natura, non pro persona: id ipsum docuerunt Damascenus, & Nicetas locis paulo ante allegatis: atqui non supponitur pro natura abstracta, ergo pro concreto illius, quod nunc probare cōtendimus. Ratione etiam huius concreti dicit Caiet. verum esse illud, quod ait Athanas. in symbolo: pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus est Deus, non tamen tres dii, sed vnus est Deus. Quis ergo audeat negare, vnum esse modo Deum, qui de tribus personis communiter prædicetur?

D. Thomas.

Athanas.

3.

Altera ratio est desumpta ex doctrina eiusdem Caieta. qui, ut commemorauimus disput. 12 §. cap. 2. censet dari quandam subsistentiam absolutam Deitatis communem tribus personis, quæ cogitatione prior sit tribus personalibus subsistentiis: cum ergo concretum naturæ nihil aliud videatur esse, quam natura subsistens, & ante tres personas intelligatur Deitas subsistens, intelligitur etiam hic numero Deus in concreto, qui ideo dicatur semipersona, quia est subsistens, sed quia nondum subsistit incommunicabiliter, non sit perfecta & completa persona. Hinc etiam infert Caietan. hoc indiuiduum peculiare esse diuinæ naturæ, & aulicæ creaturæ conuenire: quare, si natura humana assumeretur à tribus (inquit ipse) non haberet tale concretum, antequam in personis intelligeretur: quia, cum tale indiuiduum constituitur natura, & communi subsistentia, & hæc solum naturæ diuinæ conueniat ratione infinitatis (ceteras namque naturas sola subsistentia suppositi existimat subsistere) solum in ea, & non in alia natura tale concretum assignari potest.

Ceterum, antequam nostram proferamus sententiam, placet obiter notare contra Caietanum, aut priorem illius rationem nihil probare de concreto Deitatis, aut idem de quavis alia natura colligere. Nam si tres personæ assumerent vnā hu-

Nihil probat prior Caieta. ratio, aut etiam de humanis probat.

manitatem, tales propositiones de vno homine enuntiarem, quales de vno Deo, qui est in tribus affirmamus: diceremus enim, *hic vnus homo sit, deambulatur, comedit, &c.* diceremus etiam, *pater est homo, Filius est homo, Spiritus sanctus est homo, & tamen non tres homines, sed vnus est homo.* Quod vero attinet ad communem subsistentiam, ratione cuius Caiet. constituit indiuiduum Deitatis concretum, satis diximus supra disp. 12 §. c. 3. vbi probauimus, nihil tale commune esse, quod nomen subsistentiæ mereatur, nec aliquid esse huiusmodi, ratione cuius concretum Deitatis constitui possit; quia solum est communis existentia, quam Deitas, & natura quævis abstracta, in suo conceptu indodit, ut eo loco probatum est. Demum perperam Caietanus indiuiduum illud semipersonam appellat, cum hac voce nemo hætenus vsus fuerit: quinimo, si modum loquendi retineret, quem de subsistentia communi vsurpauit, pleno ore suppositum vocare deberet. Sicut enim actum existentie ipsius naturæ diuinæ nuncupauit subsistentiam, non semisubsistentiam: ita ex ea constitutum non semisuppositum, nec semihypostasim; sed absolute suppositum & hypostasim vocare debuisset, præsertim cum idem sit substantia quod hypostasim, si verbum ex verbo reddas.

CAPVT II.

Concedendum esse concretum Deitatis, quamvis alio modo, quam Caietanus posuit, verior sententia est.

Ego vero necessarium puto, indiuiduum Deitatis concretum cogitatione nostra prius personis concedere, tamen alia longe ratione, quam Caietanus illud asseruit; atque eodem modo, vna natura creata à pluribus assumeretur personis; & in quavis natura respectu sui suppositi, immo autem datur huiusmodi concretum necessarium propter varias illas enuntiationes, quas dixit Caiet. quæ non solum in diuina natura concedendæ sunt; sed etiam in humana, si vnā à tribus assumeretur. Sunt quoque alia quamplures, etiam cum terminis & vocibus notionalibus vimur, in quibus tale concretum necessarium debet intelligi, & pro eo nomen supponi. Secundo hoc concretum non posse in suo conceptu includere personas in singulari, patet, quia si ad constitutionem concreti Deitatis, quod Deum appellamus, pertinerent tres personæ in singulari, etiam in obliquo; nec tres dicerentur vnus Deus, nec communis esset Deus tribus personis. Id enim, quod in suo conceptu connotat tria hæc supposita speciatim, non potest commune esse tribus, & vnicuique conuenire: ideoque Thomistæ, qui hoc indiuiduum Deitatis concedunt, & dicunt de ratione illius esse ipsas personas, vel in conceptu illius eas includunt, non possunt non incidere in illa absurda, quæ diximus.

Tertio hoc indiuiduum cogitatione nostra prius esse personis facile probari, & explicari potest ex doctrina præcedentis disput. cap. 4. nam cum dicimus nomina concreta naturarum, ut *homo, & Deus*, directe significare naturam, & connotare personam, in qua subsistit natura, hoc ita debet intelligi, ut non connotet hanc vel illam personam, seu suppositum singularem, sed vniuersalem, vel illam personam, vel suppositum. Sicut enim supra dicebamus non numerari concreta naturarum ex con-

ex connotato, sed ex directo significato: sic etiam pronomen demonstrativum non demonstrat connotatum, sed directum significatum, & ita dicitur hic homo, non quia sit in hoc supposito; sed quia sit hac natura in hoc, vel alio supposito: atque idcirco dicimus hunc numero Deū, demonstrantes naturam, non personas: nam si eas demonstraremus, non diceretur hic Deus, qui erat, & demonstrabatur ante revelationem mysterij, quando de tribus personis non constabat, quod est ablatum: ergo, cum vox, *Deus*, & *hic Deus*, quæ sunt nomina concreta Deitatis, idem omnino significet facta revelatione mysterij tertium personarum, sequitur ante revelationem concreta illa nomina non connotasse hanc & illam personam singularem, sed personam in universum; eademque ratio erit omnium aliorum: mutato enim connotato, mutatur etiam nominis significatio; nec potest dici idem esse, quod nomine significatur, quando facta est mutatio in connotato. Quo fit, ut concretum Deitatis sit prius cogitatione nostra, quam persona, eo genere prioritas quo universale, ut animal, dicitur esse prius particulari, scilicet homine: de quo Arist. in predicamentis, capite de modis prioris. Recte igitur intelligimus hunc Deum, antequam hanc illam personam Trinitatis cogitemus. Connotatum autem esse commune non obstat, quo minus nomen *Deus*, aut nomen, *hic Deus*, vel *hic homo*, singulare sit. Nomen enim dicitur singulare ex directo significato, non ex connotato: tamen si ad syllogismum expositivum conficiendum aptum medium non sit, ut notavimus disput. 123. cap. 3. atque hinc constat aliter à nobis concretum Deitatis assignari, quam à Caietano, & ab aliis Thomistis.

Quarto eodem modo sequitur, dari individuum humanitatis, & cuiusque naturæ, quod in cogitatione nostra sit prius personis. Quia concreta aliarum naturarum eodem modo significantur cum connotatione suppositi, non in singulari, sed in universum, sicut concretum Deitatis: eadem enim omnium est ratio: ergo concretum, sicut quid commune ex parte connotati, præcedit consideratione nostra personas. Et ita, si una humanitas à tribus personis assumeretur, eodē prorsus modo demonstraretur concretum humanitatis, & diceretur hunc hominem, non ostensa hac vel illa persona singulari, sicut ostendimus concretum Deitatis, non demonstrata persona singulari.

CAPVT III.

Soluantur argumenta prima sententia.

Omissis rationibus Caiet. quæ, ut 1.2. ca. vidimus, solum probant, dari concretum deitatis prius personis consideratione nostra, non eodem modo, quo ille contendit: sed ut præcedenti cap. explicatum est: Superest solum, ut diluamus argumenta, quæ pro sententia Durandi & Henrici 1. cap. allata sunt. Ad primum ex authoritate S. Thom. Damasceni & Nicetæ, qui nomen concretum, *Deus*, vel *homo*, interpretantur his nominibus, *Habens deitatem*, vel *habens humanitatem*, respondeo, hæc duo non esse eiusdem significationis, *Deus*, & *habens deitatem*, & de aliis concretis substantiis idem sentio. Nam, ut sequenti disput. dicemus, multa sequerentur absurda in modo lo-

Vasquez in 1. p. Tom. 2.

quendi de mysterio Trinitatis. Diceremus enim esse tres deos, quia sunt tres habentes deitatem, & sequeretur, Deum generare alium Deum, quia habens deitatem generat alium habentem deitatem: cumque fateatur S. Thom. art. 3. huius quæst. ad 3. *S. Thom.* non esse dicendos tres Deos, quamvis dicantur tres habentes deitatem, quia habens deitatem significat adiective, Deus autem substantiue; concedit plane illa duo nomina non significare idem eodem modo, quemadmodum adiectivum & substantivum nunquam sunt eiusdem significationis. Ergo cum patres illi dixerunt, Deum esse habentem deitatem, non putant modum significandi omnino æqualem esse utriusque; sed id dixerunt, ut ostenderent non licere vocem deitatis abstrahere usurpare pro persona, hoc est, de illa non prædicari, quæ de persona dicuntur, quia abstracta intelligitur: at vero quia nomen Dei, in quavis persona collocatur, de illo dicitur, quod de persona enunciamus: quia naturam significat coniunctam personis. Inquit itaque Damascenus, ex quo Nicetas id ipsum desumpsit. *At Dei vocabulum & natura communitatem significat, & in vnaquaque persona aque collocatur, quemadmodum & homo: Deus enim uest, qui divina natura præditus est, & homo, qui humana; ac si diceret, ideo collocatur nomen, Deus, in quavis persona, hoc est, de illo dicitur, quod de quavis persona enunciamus, quia is, qui divina natura præditus est, Deus est.* Quare non exponit concretum, *Deus*, per habens deitatem, neque de habente deitatem prædicat Deum, ut rursus de Deo enuntiet, quæ personæ conveniunt. Propositio igitur Damasceni, quasi per conuersionem intelligenda est. Cum vero dicitur in argumento nomen, *Deus*, esse nomen suppositi, plane negari debet: sed dicendum est, esse nomen naturæ connotans suppositum, nec solum dicimus non dari commune suppositum, sed etiam commune illud concretum non posse recte appellari semisuppositum, vel semipersonam, ut contra Caiet. cap. 1. notavi.

Ad secundum concedimus, dari etiam individuum concretum humanitatis, sicut etiam deitatis: ex hoc tamen non sequi fuisse hominem assumptum à Deo. Nam licet homo præcedat cogitatione nostra hoc & illud suppositum particulare: tamen non antecedit suppositum in genere. Quare si antequam à verbo assumeretur humanitas, iam intelligeretur homo, intelligeretur humanitas in aliquo supposito: sed in nullo supposito potest intelligi, quæ in nullo alio fuit, nec mansit, quam in diuino: ergo Christus non assumpsit hominem, quādoquidem naturam solum assumpsit, quæ antea non potuit aliquo modo supposita cogitari. Quod si assumeret naturam antea suppositam vel propria, vel aliqua alia diuina persona, non diceretur assumere hominem: quia illam non terminaret, quatenus suppositam alio supposito, sed solum quatenus humanitas esset, ut late in 3. p. q. 4. art. 3. ostendimus.

Ad tertium concedimus libenter eodem modo concretum spiratoris, sicut Dei, non sicut constituitur à Gabriele, quem retulimus disput. 149. cap. 4. id namque asserit constitui ex essentia, & spiratione actiua, veluti ex proprietate contrahente: sed eodem modo, quo individuum deitatis concessimus, nempe, ut spirator sit natura cum proprietate communi spirandi, connotando suppo-

Y 4 lita

sita in obliquo. Et quia spiritus per se procedit à patre & filio, ut à duobus spiratibus, quia est mutus amor, ideo concretum spiratoris cōnotabit duo supposita, non hoc, aut illud particulare. Quare si in aliis duabus esset personis eadem numero natura & proprietates, idem omnino esset spirator: quia concretum hoc, visus significationis, non exprimit hanc, vel illam personam: cum hoc tamen dicendum est paternitatem & filiationem per se spectare ad productionem Spiritus sancti, quia sunt per se obiecta talis dilectionis, qua procedit Spiritus sanctus.

CAPVT IV.

Quaratione dicere possumus, Hic Deus est hic Deus.

Quid sentiat
Canariensis
de hac propo-
sitione.

Canariensis in 3. par. comment. presentis art. non bene perfecta significatione huius nominis concreti, Deus, censet hanc propositionem, Hic Deus est hic Deus, nec esse absolute negandam, nec absolute concedendam; sed adhibita distinctione negari, & concedi posse: ne si eam absolute concedamus, adstruere videamur errorem Gentilium asserentium plures Deos, neutrum absolute eam negantes, cum Sabellio personas confundere videamur. Nam quidam incaute dicebant esse concedendam, alij vero negandam, ostendendo patrem ex parte subiecti, & filium, vel aliam personam ex parte prædicati. Vel igitur sensus est, inquit Canariensis, Pater qui est Deus, est filius, qui est Deus, & hoc modo putat esse negandam: vel sensus est pater, & filius sunt idem Deus, & sic omnino concedendam esse. Idem sentit de hac propositione, Deus generans est deus genitus. Nam si reddat hunc sensum, Pater, qui generat, est filius, qui est genitus, est falsa propositio: si vero sit sensus, Pater generans & filius genitus sunt idem deus, est vera: idem de hac, Hic spirator est hic spirator, respectu patris & filij; & de hac, Hic homo est hic homo, si una humanitas in tribus esset personis.

Si pronomen
hic afficiat
concre-um
Deus, & non
ponatur ap-
positiue, est
vera propo-
sitiō, hic Deus
est hic Deus.

Ego vero existimo planum esse sensum prædicatæ propositionis, si recte tenemus significatum huius concreti, Deus: cum enim non possit directe significare personam, nisi terminus notionalis ei addatur, erit vera propositio, Hic deus est hic deus, si nomen, Deus, afficiatur pronomine, hic, & non ponatur appositivè, ut grammatici loquuntur. Nam ut supra diximus quemadmodum nomina numeralia sequuntur unitatem, aut multitudinem formæ; eo quod his concretis naturarum substantiis forma solum directe significatur, & ideo ubi est una forma & natura ut in Deo, non possunt cōiungi nomina multitudinis, sed singularia: ita etiam pronomen demonstrativum, hic, non potest demonstrare personas (hæ namque non significantur eo nomine, sed cōnotantur) verum demonstrat naturam, & concretum deitatis, quod cum unicum sit, semper vel à parte prædicati, vel à parte subiecti, eundem Deum demonstrat. Erit igitur vera, & non distinguenda, ut Canariensis distinguit, illa propositio, Hic Deus est hic Deus, & falso dicitur, posse demonstrari Patrem ex parte subiecti, filium ex parte prædicati, vel contra: nam si hoc verum esset, & dicere possemus, Hic Deus non est hic Deus, sequeretur esse alium, & alium Deum, ac proinde duos Deos, quorum unus non esset alius. Deinde diceremus, Hi dii sunt pater, & filius,

de quibus deceremus, Hic Deus non est Deus, quæ plane sunt absurda, & contra legittimam vocis significationem.

Hoc tamen dixi esse intelligendum, cum pronomen, hic, afficiat nomen, deus. Nam si deus, appositivè ponatur: ut sit sensus, Hic, qui est Deus, est hic, qui est Deus, neganda esset propositio. si ex parte subiecti demonstraret filium, & ex parte prædicati demonstraret patrem. Hic, enim absolute positum demonstrat suppositum iuxta regulas traditas disput. 155. cap. 6. Deinde nomen, deus, appositivè idem significat, ac si dicas, qui est Deus, hic autem sensus ille factus est, & negans propositio vera: ac si diceremus, filius, qui est Deus, non est pater, qui est Deus. Sed hic sensus non est communis, & ex modo prolatis & positionis punctum discerni debet. Idem omnino sentiendum de hac propositione, Hic spirator est spirator: datur enim individuum spiritoris, ut præcedenti cap. dicebamus.

Denique eadem proportionem dicendum est de illa propositione, Deus generans est deus generans: aut enim vox, generans, ponitur appositivè, & est verus sensus enim est, deus, qui est generans, est deus, qui est generans: cum enim sit unus Deus, qui simul est genitus & generans, recte dicitur, Deus, qui est genitus est Deus, qui est generans: neque enim est alius deus, qui sit genitus, & alius deus, qui sit generans: sit vero non ponitur appositivè, ut illa, generans, & vox, generans, est falsa propositio: dicuntur illæ voces afficiant terminum, deus, ut faciant supponi pro patre, & filio: termini enim notionales additi essentialibus aliquando faciunt eos supponi pro persona, ut sequenti disput. patet. Sed non eodem modo iudicandum est de hac propositione, Generans deus est genitus deus, quia siue nomen, deus, ponatur appositivè, siue afficiatur vocibus, semper est falsa. Siue enim dicas, generans deus est genitus deus, hoc est, pater est filius: siue generas seu pater, qui est Deus, est genitus, seu filius, qui est Deus, semper est falsa enuntiatio.

At obiciat nobis aliquis Anselm. qui epistolæ de incarnatione verbi cap. 6. docet, cum dicitur, Hic homo, aut, iste homo, iam ostendi personam: licet cum lapsum nomine proprio nominatur, Christus, aut, Petrus: ergo similiter, cum dicitur, Hic deus, iam demonstratur persona ac proinde possemus varias personas hoc nomine ostendere, sicut hoc nomine, hic homo, ut una de aliis non prædicaretur, quemadmodum si diceremus, hic homo, ostendo Petro, non est hic homo, ostendo Ioanne. Respondeo Anselmum illud solum docuisse, ut assignaret discrimen inter nomina universalialia, ut homo, & singularia, ut hic homo: quia universalialia non possunt vltimo modo huius personæ, singularia vero, ut hic homo, cum demonstrant naturam contractam, demonstrant eam in supposito, non quod directe suppositum ostendat.

DISPUTATIO CIVIL.

Quæ harum propositionum, Deus generat, Deus non generat, sit vera, & quæ sit falsa.

Quaratione antiquiores Scholastici affirmantem propositionem dicant esse veram. cap. 1.
Propositionem negantem esse veram consentiant dicantur
Nominales. cap. 2.